

Respondeo circa primum, quod est, viridaria rigare: dicendo, quod cum tale opus numquam fieri soleat sine aliqua necessitate, & proinde, veluti ex natura sua, cum necessitas illud faciendi moraliter conjungatur, nullum per se videtur importare peccatum, cum in cap. ult. de feriis opera servilia diebus festis prohibeantur, nisi necessitas urgeat, quæ legem non habet. Circa secundum autem, quod est, frumenta, & alia grana Soli exponere, observandum est, an adsit necessitas hoc faciendi; si enim grana in ingenitum massam, grandioresque acervos congesta tabem aliquam contrahere possent ex humorè non satis exsiccato; tunc etiam festis diebus Soli exsiccanda exponi possunt absque peccato, ex supra jam pro primo adducta ratione: si vero hæc præcisa necessitas pro die festo non urget, ut contingit, quando frumenta, & grana non sunt in tanta quantitate, dicendum, non posse opus hoc plane servile diebus festis præstari, & proinde Sejum nostrum rurales famulos hujusmodi grana festis diebus Soli exponere cogentem, peccare. Ita Sanch. in cons. 5. c. 2. dub. 18. num. 11. Palaus punct. 10. num. 3. Regin. l. 13. c. 50.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. **R**usticus in via publica invenit annulum cum lucido lapillo, quem vitreum esse putans, vendidit vili pretio alteri rusticō, qui pariter lapillum vitreum esse pütabat. Q. an emptor, certior inde factus, lapillum esse adamantium, teneatur initium contractum rescindere? Respondeo affirmative. Ratio est, quia mutuo contrahentium consensui, ad valorem cuiuscumque contractus requisito, nihil ex communi axiomate est tam contrarium, quam error. Cum itaque rusticus in casu nostro annulum adamantium pro vitreo vili pretio vendiderit; alterque rusticus eodem pretio vitreum, non adamantium annulum se emere existimaverit, & proinde tam vendor, quam emptor ex errore, & ignorantia circa substantiam rei verente contractum suum inierint, dicendum est, emptorem, statim ac certior factus sit, lapillum annuli, quem vitreum puerabat, esse adamantium, initum contractum, utpote nullum, rescindere omni jure teneri. Ita cum D. Tho. p. 2. q. 6. art. 8. Less. l. 2. c. 17. n. 27. Girib. de contr. c. 1. n. 29.

CAS. II. Parochus ruralis quadam die curiositate motus, Calvinii librum scienter legit, ignorantia tamen crassa, & supina legentibus hæreticorum libros impositam esse excommunicationis censuram. Q. an prædictam Censuram incurrit?

Respondeo negative. Quamvis enim legentibus etiam ex mera curiositate libros hæreticorum imposita sit excommunicationis censura, & quidem Pontifici in primo Bullæ Coenæ capite reservata, si prædicti libri contineant hæresim, vel tractent de religione; adhuc tamen cum ad incurrandam prædictam censuram non sufficiat habere scientiam facti, idest, cognoscere librum esse auctoris hæretici, sed etiam juris scientia requiratur, hoc est, necesse sit scire tali lectioni adnexam esse censuram; dicendum est, Parochum nostrum excommunicationem in casu non incurrisse. Ratio est,

quis,

quia scienter legere librum Calvini cum ignorantia, quod lectio prædicti libri sub excommunicationis censura verita sit, etiamsi prædicta ignorantia crassa sit, & supina, non est legere cum tali scientia, quæ ad incurrandam poenam sufficiat, cum poena hæreticorum libros legentibus imposita non nisi à directe, & vere scientibus incurritur. Ita Duard. l. 2. quæst. 39. num. 3. Sanch. l. 2. cap. 10. num. 38. Bonac. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 8.

CAS. III. Plures famuli stipendium accipiunt à Nobili Viro ære alieno valde gravato, unde hic fit magis impotens ad satisfaciendum creditoribus suis. Q. an illi, statum domini non ignorantis, in conscientia sint iuti.

Respondeo cum distinctione. Si famuli certo moraliter sciunt, virum nobilem stipendio ipsis soluto impotentem magis reddi ad satisfaciendum creditoribus suis, & alia parte ipsorum copia necessaria non sit ad conservandum decorem, & statum familie domini convenientem; tamquam probabilius dicendum est, eosdem famulos non posse à domino stipendium recipere, vel retinere acceptum, nisi forte tantumdem eidem domino inserviendo acquisierint. Si vero ex adverso non habeant famuli certitudinem moralē de majori impotentia domini ad debita solvenda, vel ita sint necessarii, ut dominus sine ipsis cum decore sibi, suæque familie debito vivere nequeat; tunc, famulos stipendium à domino recipientes omnino in conscientia tutos esse, affirmamus: Sicut enim dominus ne à statu sibi debito decidat, excusat, si non satisficiat creditoribus suis: ita excusari debent & famuli, ut proinde non teneantur vel à domo recedere, vel à recipiendo stipendio abstinere. Ita Navar. cap. 17. num. 170. Vasq. de restit. cap. 11. dub. 2. n. 82. Tambur. tract. 4. cap. 7. §. 1. num. 34. Bonac. disp. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 30.

MENSE SEPTEMBERIS.

CAS. I. **R**usticus confiteatur, se aliquam exercuisse operationem, ignorans, an esset venialiter tantum, an vero etiam mortaliter mala. Q. pro qua culpa stare debeat Confessarii judicium.

Respondeo, stare debere pro culpa veniali. Ratio est, quia nulla actio censeri debet graviter peccaminosa, nisi ejus malitia sit formaliter, vel virtualiter volita; quod, ut contingat, suspicionem, seu dubitationem de gravi culpa occurtere necesse est; secus omnia fere rusticorum, personarumque idiotarum peccata, ut sunt imprecations, verba obscena, & hujusmodi, essent dicenda lethalia, utpote commissa ab illis qui ea quidem mala esse cognoscunt, venialia autem esse, vel lethalia prorsus ignorant. Cum igitur non dicatur in casu, quod rusticus operationem exercuerit, suspicando, seu dubitando, eam esse posse graviter peccaminosam, sed præcise quod illam exercuit ignorans, an esset venialiter tantum, an etiam mortaliter mala, sequitur quod nullo modo periculum malitiæ gravis adverterit, & proinde quod de levi tantum culpa damnandus sit. Ita Boss. de peccat. §. 15. num. 79. Diana p. 5. tract. 15. resol. 31. Girib. de Act. hum. cap. 3. num. 36. & 37.

CAS.

CAS. II. Berta non adhuc certa de morte Mariti, novum contraxit Matrimonium cum Cajo, quod intelligens Patrochus eidem Berta dixit, eam tali durante incertitudine non posse petere, nec reddere debitum. Q. an Patrochus vera docuerit.

Respondeo, vera Patrochum docuisse quoad petitionem, non sic quoad debiti redditionem. Ratio primæ partis est, tum quia Berta per Matrimonium tali incertitudine contractum nullum jus acquisivit in corpus alterius, cum possessio mala fide incepta nullum tribuat jus; tum quia petendo in casu se exponeret fornicationis periculo, nempe periculo cognoscendi virum, qui vir suus non sit. Ratio secundæ partis est, quia cum Cajus non dicatur conscientius incertitudinis Berta, potuit bona fide Matrimonium cum Berta contrahere, & proinde, cum vi juris in corpus Berta acquisiti, & vi bonæ fidei, in qua supponitur perseverans, possit licite à Berta petere debitum, illa debitum petenti Cajo denegare nullatenus debet. Tota hæc doctrina fundatur in cap. Dominus de secundis nuptiis, in quo expresse habentur hæc verba: Super Matrimonii, quæ quidam ex vobis contraxerunt, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, respondemus: Si aliquis de morte primi conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se ramen uoverit nullatenus exigendum. Ita ex Giribald. de Matrim. cap. 19. num. 77. aliisque communiter.

CAS. III. Cum Titius ab amico olim suo gravem quamdam passus fuisse injuriam, statuit, ipsum, quotiescumque obvium haberet, non amplius salutare. Q. an Titius in tali proposito perseverans, possit absolviri.

Respondeo negative. Quamvis enim non teneamus ex charitatis præceptio exhibere proximo specialia amicitiae, & benevolentiae signa, qualia sunt, eum blandis alloqui verbis, & in salutatione prævenire; adhuc tamen cum omissione salutationis in casu, quo quis aliquem, utpote sibi amicum, solitus erat antea salutare, sit de facili signum odii, vindictæ, & inimicitiae, & possit vel in gravem proximi injuriam, vel in aliorum scandalum cedere; dicendum est, omissionem prædictam præcepto diligendi proximum adversari. Nisi igitur Titius & ex corde injuriam remittat, & manifestet animum suum ad salutationis antiqua officia paratum, saltem, quando alter, utpote ostensus, ipsum in salutatione præveniat, idem Titius ita indispositus est judicandus, ut beneficio sacramentalis absolutionis donandus non sit. Ita cum Valent. tom. 3. d. 3. q. 3. punct. 2. Tambur. in Dec. L. 3. c. 1. §. 3. n. 12.

M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Fancisca est moraliter certa, Cajum pravis affectibus, desideriis, & verbis esse graviter peccatum, si ipsa tempore baccanaliorum ad choreas accedat, ad quas aliae sceminae sine tali periculo accedunt. Quæritur an teneatur sub gravi culpa à tali accessu abstinere.

Respondeo negative. Quemadmodum enim non tenetur Mulier semper, vel diu domi se continere, sed licite potest moderate exire, sive causa visitandi consanguineas, & amicas, sive causa honestæ, proprio statu con-

ve-

nientis recreationis, & hujusmodi, etiamsi sciat aliquem ex infirmitate ob ejus intuitum peccatum, cum ad vitandum proximi peccatum etiam ex fragilitate proveniens nemo vi charitatis proximo debitæ cum gravi suimet incommodo teneatur; ita licet Francisca sit moraliter certa, Cajum esse graviter peccatum, si ipsa baccanaliorum tempore ad choreas accedat, non tenetur à choreis saltem toto prædicto tempore, vel diu abstinere, sed licite potest ad easdem, dummodo honestæ sint, modestæ, ac temperanter accedere, quin talis accessus charitati proximo debitæ adversetur. Eo præsertim, quod, cum Cajus non tantum ex fragilitate, quam ex malitia, pravis scilicet desideriis, & verbis sit peccatus, nullatenus culpæ ipsius Franciscae adscribendum videtur, si ad impedienda peccata Caji toto baccanaliorum tempore, quod nimis arduum fortasse illi esse potest, à choreis abstinere parata non sit. Ita ex Giribal. in pr. Decal. præcep. c. 7. n. 63. & communiter.

CAS. II. Caja juvenis modesta, quamvis sciat, sui præsentiam, & collocutionem esse Titio, cum quo sponsalia contraxit, occasionem plurium peccatorum, non vult se ab oculis Titii subtrahere, dicens: Si erga verto Titio, hanc mihi propitiæ nubendi occasionem amitto. Q. an prædicta nubendi causa juvenem Cajam sufficienter excusat.

Respondeo affirmative. Quamvis enim ad extenuandam spiritualis ruinæ occasionem à Titio acceptam teneatur Caja ex charitatis lege rarius, quam potest, ad secum loquendum Titium ipsum admittere; adhuc tamen cum vi charitatis prædictæ non teneatur Caja privari jure sibi jam ex sponsalibus acquisito, dicendum est, neque teneri se absolute ab oculis Titii subtrahere, licet sciat, illum hac occasione in peccata plura lapsurum. Quod potiori jure dicendum videtur, si Caja aliam non speret æque sibi propitiæ invenire nubendi occasionem, neque continentiae statum sustinere parata sit; tunc etiam cum justam habeat causam favendi licitis modis amicitiam Titii, etiamsi Titius ex sui infirmitate, aut malitia tali occasione abutatur, poterit Caja eamdem amicitiam sive modestia sui præsentia, sive moderata confabulatione favere, quantum opus est, ne cum gravi suo incommodo prædictam cum Titio nubendi occasionem amittat. Ita ex Giribald. in pr. Decal. præcept. cap. 7. ut supra.

CAS. III. Armenta Caji ducebant famuli ad pasqua, eaque sinebant, inscio tamen Cajo, vagari per proximos Sempronii campos, unde ingens frugibus damnum secutum est. Q. an Cajus in casu teneatur de damno Sempronii campis illato.

Respondeo negative. Quia neque ex Caji mandato, suasione, aut alio impulsu, neque ex ipsius Caji negligentia graviter culpabilis, sed ex simplici famulorum incuria, ac culpa, inscio ipso Cajo, ingens damnum Sempronii campis illatum est. Cum autem conveniens non sit, ut qui damni alteri illati culpabilis causa non fuit, teneatur in foro conscientiae, præsertim ante omnem Judicis sententiam, ad reparationem ipsius damni in aliena re, sive ex armentis, sive ex alia causa, securi; dicendum est, ne pena infligatur, ubi culpa non est, Cajum in casu nequaquam de damno proximi Sempronii campis illato teneri. Ita Card. de Lug. de just. dis. 8. num.

V

41.

41. Molin. disp. 713. Less. de just. l. 2. cap. 9. dub. 17. Tambur. in De-
cal. l. 6. cap. 4. §. 2. n. 4.

MENSE NOVE MBRIS.

CAS.I. **T**Axato à Principe pretio pro qualibet frumenti mensura, Merca-
tor quidam frumentum vendidit, exigendo, & recipiendo
pro qualibet mensura duos Julios ultra taxam. Q. an dictus Mercator con-
tra justitiam peccaverit.

Respondeo cum distinctione. Si frumentum venditum à Mercatore in ca-
su non excedit in bonitate frumentum vulgare, cuius pretium à Principe
taxatum est, & solet ab aliis Mercatoribus communiter observari, dicendum
est, Mercatorem contra justitiam peccasse. Ratio est, quia pretium legale
taxatum à Principe, seu Magistratu supponitur justum, nisi manifeste constet
oppositum, & proinde illud non solum in foro externo, sed etiam in foro
conscientiae servandum est. Si vero frumentum prædictum melioris sit
conditionis, & notabiliter vulgare frumentum in bonitate excedat, dummodo
duo Julii supra taxam recepti non excedant venditi frumenti pretium na-
turale, erit Mercator ab omni injustitiae labo immunis. Sicuti enim triti-
cum longe inferius tritico communi vendi debet pretio inferiori; ita, si in
bonitate sit longe melius, pretio taxam excedente, jure merito, & absque
ulla injustitia, vendi potest. Ita Homob. consult. 2. part. 6. resp. 15. Dia-
na part. I. tract. 8. resolut. 52. Giribald. de Cont. cap. 2. n. 58.

CAS. II. Confessarius in quadam rurali Parœcia, ut populum alliciat ad
frequentiam Sacramenti pœnitentia, non alias solet, etiam pro gravibus
culpis, pœnitentias imponere, quam opera alias debita, ex. gr. auditionem
Sacri in die festo, & similia. Q. an iste agendi modus esse possit ab omni
culpa immunis.

Respondeo negative. Ratio est, quia licet in eo casu, quo Confessarius pru-
denter timet, ne acidiosus pœnitens, multis gravatus delictis, sit execu-
turus condignam satisfactionem, si plura libera opera ei pro pœnitentia
imponantur, possint una saltem cum aliquo libero opere etiam opera alias
debita pro eadem pœnitentia imponi; adhuc tamen regulariter loquendo, de-
beni Sacerdotes pœnitentia Minstri, quantum spiritus, & prudentia sug-
gesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, &
convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & alienorū
peccatorum participes efficiantur, ut inquit Trid. sess. 14. cap. 8.
Cum autem tota hæc doctrina destruatur, si generale motivum alliciendi po-
pulum ad Sacramenti frequentiam licitum redderet, ut non alia opera
etiam pro gravibus culpis pœnitentibus imponantur, præter ea, quæ jam
sunt aliis titulis debita, dicendum est, modum agendi, quem tenere solet
Confessarius noster, esse non posse ab omni culpa immunem. Ita Lug.
disp. 25. num. 67. Avers. q. 13. sect. 3. Giribald. de Pœnit. cap. 12. num.
44. & 45.

CAS. III. Titius, ne à suo statu decidere cogatur, non solum antiqua
non solvit, sed nova etiam congerit debita. Q. an utrumque Titio liceat.

Res-

Resp. negative. Quamvis enim possit alicui aliquando licere solutionem
debitorum jam contractorum differre, ne subire cogatur grave incommodum
decidendi à proprio statu, si status iste sit juste acquisitus, si nihil in super-
fluos sumptus insumatur, & creditoribus ex tali dilatione æquale incom-
modum non immineat; adhuc tamen nemini licere potest nova congerere de-
bita, ne à proprii status decore decidat. Ratio est, quia nova congerere debira
in eo statu, quo quis videt se impotentem ad solvenda antiqua, aliud non est,
quam subripere alienam rem cum impotencia restituendi, & cum evidenti
prædictæ impotentia cognitione, quod nonnisi invito domino contingere
potest, cum nemo unus ex creditoribus sponte consentiat amittere quod
sibi debitum est. Cum autem, ut constat ex damnatione Innocentiana prop.
36. nonnisi in extrema necessitate, vel saltem ita gravi, ut æquiparari pos-
sit extremæ, qualis certe non est illa conservandi decorem proprii status,
furari licitum sit; sequitur, licitum non fore Titio in casu nova congerere
debita, ne decidere à suo statu cogatur. Ita cum Layman l. 3. tr. 2. cap.
12. Lug. disp. 21. n. 6. Card. part. 3. disp. 23. n. 36.

MENSE DEC E MBRIS.

CAS.I. **P**etro recidivo imposta fuit à Confessario pro pœnitentia recita-
tio integri Rosarii, & unius tertie partis quories in idem pecca-
tum incideret. Dum autem redit ad pœnitentia tribunal, confitetur, prima
recitatione completa, secundam tribus vicibus omissose. Q. an omissas Ro-
sarii partes teneatur iterum recitare.

Respondeo negative. Nam illa tertia Rosarii pars à Petro recitanda quo-
ties in idem peccatum incideret, utpote quæ fuit imposta à Confessario non
ut Judice sententiam supra exposita crimina proferente, sed ut Medico, re-
media præscribente ad præcavendum relapsum, non est pars integralis Sa-
cramenti, nec proinde ut talis vel ad remissionem pœnæ transactis peccatis
debitæ, vel ad specialia à Deo auxilia impetranda pro præcavendis pecca-
tis futuri ex opere operato conducit. Sicque quamvis dici possit, quod
peccaverit Petrus ea media non exequendo, quæ ipsi data sunt, ut se à re-
lapsu coercent; adhuc tamen cum nequeat amplius haberi finis intentus à
Confessario, qualis fuit vitandi in pœnitente secundum, & tertium relap-
sum; dicendum est, Petrum non amplius ad omissas Rosarii partes teneri.
Ita æquivalenter apud Dian. Card. tom. I. tract. 6. resol. 21. Sanch. tom.
I. l. 3. cap. 5. num. 17. Fagund. in Decal. tom. I. præcept. 2. l. 1. cap.
8. num. 21.

CAS. II. Confessarius pœnitenti, qui solet injunctas graves pœnitentias
non adimplere, imponit quidem pro atrocibus delictis pœnitentiam gravem,
sed nonnisi sub onere venialis culpæ, si eam omittat. Q. an licite possit sub
levi tantum culpa pœnitentiam dictam imponere.

Resp. affirmative. Quemadmodum enim licite Confessarius in Sacra-
mento Pœnitentia judicium exerceat nomine Christi, & judicii natura postulet,
ut pœna commensuretur culpæ; adhuc potest, attenta rationabili causa,
& majori pœnitentis utilitate pœnitentiam levem pro gravibus culpis im-
po-

nere, quin ex hoc possit inferri Confessarium agere contra Sacramenti institutionem; ita licet Confessarius non proprio, sed Christi nomine satisfactionem imponat, & sacramentalis judicij natura requirat, ut gravis poena sub præcepto gravi imponatur; poterit adhuc pro majori pœnitentis utilitate gravem pœnam sub levi præcepto, absque ulla sacramentalis judicij lassione imperare. Ratio est, quia tam in primo, quam in secundo casu ita Sacramentum Pœnitentiae institutum est, ut Sacramenti Minister facultate ligandi, atque solvendi sibi credita eo modo uti possit; quem Pœnitentis salui utiliorem fore crediderit. Cum igitur Confessarius noster ex rationabili causa vitandi majora delicta sui pœnitentis, qui solet pœnitentias injunctas non adimplere, easdem etsi graves, sub levi tantum onere imponat, licere omnino hoc agere, dicendum est. Ita Card. de Lugo de pœnit. disp. 25. sect. 4. num. 59. Dian. t. 1. tr. 6. resol. 31. num. 5. Suar. de pœnit. disp. 38. sect. 7. num. 5.

CAS. III. Titius absque filiis moriens, de maxima bonorum suorum parte disposuit in favorem cujusdam Ecclesiae; fratri autem valde egeni ne obulum quidem reliquit. Q. an Titius ita agens, sit in conscientia turus.

Respondeo negative. Ratio est, quia si charitas omnino postulat, ut graviter indigenti saltem ex bonis naturae, & statuti superfluis subveniatur, multo strictior, & urgentior est haec obligatio erga fratres in gravi constitutos necessitate. Hinc cum Titius plura habens bona, quippe qui de maxima bonorum suorum parte in Ecclesiae favorem disposuit, ne obulum quidem reliquerit fratri valde egeni, videtur dicendum, in conscientia tutum non esse. Quamvis enim non teneatur frater fratri aliquid ex justitia in testamento relinquere; si tamen frater superstes valde egenus sit, tenetur mortis tempore, quando habeat unde libere possit disponere, ita ex charitatis, ac pie-tatis lege fratri superstiti providere, ut eidem juxta indigentiae gradum subveniat. Ita ex Laym. l. 3. tr. 5. cap. 5. num. 17. de Lug. disp. 24. num. 175. Bonac. de contr. disp. 3. quæst. ult. punct. 3. num. 13.

ANNO MDCCXLIII.
MENSE JANUARII.

CAS. I. Capellanus ruralis ex negligentia Missam celebrat ad longum tempus absque Clericali Tonsura, qua de re à Parocho tamquam gravis culpæ teus corripitur. Q. an jure sic corripiatur.

Respondeo negative. Cum enim simplicis tonsuræ delatio sub pœna quidem privationis privilegiorum, vel privationis, aut inhabilitatis beneficiorum, non autem sub aliqua forma lethalem culpam indicante præcipiatur, ut in cap. 6. sess. 23. Concil. Trid. & in Bullis Sixti V. hac de re editis videtur est; dicendum remanet, Capellanum nostrum nequaquam fore per se lo-

quen-

quendo de gravi culpa damnandum. Si tamen negligentia Capellani prædicti, vel clarum præseferret Ecclesiasticarum legum contemptum, vel cum ruridis populi admiratione, atque scandalio coniungeretur, tunc ratione harum circumstantiarum jure merito à Parocho de gravi culpa correptum fore dicendum est. Ita ex Marchino de Ord. in part. tr. 2. part. 1. cap. 6. num. 3. & seq. Dian. Moral. instit. part. 2. tract. 4. resol. 183. Enriq. L. 10. cap. 11.

CAS. II. Titius nonnullis gravatus debitibus, nec habens unde ea solvat, cum invenerit annulum aureum, cuius frustra quæsivit dominum, vellet ad solvenda debita annulum inventum insumere. Q. an licite possit.

Respondeo affirmative. Si enim aliquid obstat, est, quia res inventa, cuius dominus opportunis etiam adhibitis diligentiis, ignotus est, præsertim si illa maneat in propria specie, debet juxta præsumptam domini voluntatem in pauperes, vel alias pias causas erogari, ex quo videtur, eamdem rem insumi non posse pro solvendis debitibus, quibus aliunde inventor ipse gravatur. Cum autem Titius in nostro casu, ex quo non habeat, unde debita solvat, dici possit ex una parte pauper, & ex altera inventum annulum insumere, ne ipse debitor vexetur a creditoribus, quibus ex bonis propriis satisfacere est impar, sit revera annulum in piam causam insumeret, dicendum est nihil obstare, quin Titius licite agat, utpote qui agit juxta præsumptam incerti domini voluntatem, annulum aureum insumendo extinguendis debitibus, quibus aliunde satisfacere potens non est. Ita Girib. de rest. c. 5. n. 34. Rosig. prænot. 8. n. 2. Lug. disp. 20. n. 5.

CAS. III. Petrus bona fide per aliquod tempus possedit agrum, deinde postquam per annum dubitaverit, agrum esse alienum, certo alienum esse cognovit. Q. quid restituere teneatur.

Resp. Petrum teneri primo ad restitutionem agri, si agri ipsius dominium præscriptionis legitimæ beneficio non acquisivit. Secundo, detractis expensis, teneri ad restituendos fructus pariter non præscriptos; qui, loquendo de ordinaria præscriptione inter præsentes, sunt fructus correspondentes ultimo triennio sive bonæ, sive dubiæ fidei possessionis, dummodo tamen idem Petrus anno dubiæ possessionis morale diligentiam pro veritate rei inquirenda adhibuerit: in tali enim casu per dubium superveniens bonæ fidei possessio non interrupitur, ac proinde neque præscriptionis continuatio impeditur. Quod si Petrus non adhibuit diligentiam prædictam, tunc cum initio dubiæ possessionis jam evaserit malæ fidei possessio, annulus ille inter utiles ad præscribendum non poterit amplius enumerari. Denique si Petrus bona fide possedit agrum pro tempore insufficienti ad aliquam sive ipsius agri, sive ejus fructuum legitimam præscriptionem, dico: Petrum teneri restituere agrum, torumque id, in quo factus est ditior integro tempore sive dubiæ, sive bonæ fidei possessionis, cum legitimum titulum non habeat retinendi sive fundum, sive fructus ex alieno fundo perceptos, servatis semper regulis expensarum, ut supra dictum est. Ita Girib. de just. & jur. c. 4. n. 76. & 77. Laym. L. 3. tr. 1. cap. 8. n. 10. Covarr. §. 7. n. 3.

MEN.